

*Klem*

*12074*

Kem. 1294



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

D E

VALORE ECCRISIVM  
RITE AESTIMANDO

---

Q V A M

CONSENSV ET AVCTORITATE  
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

D. IO. FR. GOLDHAGEN

MEDICINAE, PHILOSOPHIAE ET HISTORIAE  
NATVRALIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
FACVLT. MED. H. T. DEGANO, CIRCVLI  
SALICI, COMITATVS MANSFELDENSIS  
ET CIVITATIS HALENSIS PHYSICO  
PRO OBTINENDO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

D. XIII OCTOBR. MDCCLXXXVI.

H. L. Q. S.

PVBLICE DEFENDET  
IO. CHRISTOPHORVS FRANKE,  
MAGDEBVRGENSIS.

---

---

H A L A E,

LITTERIS I. C. HENDELI.

Dubl. zu Kern 3482 (6)

INDEX

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several columns and appears to be an index or a list of entries.





---

---

## SVMMA DICENDORVM.

- §. I. Tritam istam differentiam inter artes liberales et illiberales receptam non satis appposito doctrinae logicae fundamento superstruunt.
- §. II. Vires corporis humani medicatrices, et naturae subsidia, quae vires extus afficiunt, objecta sunt medicinae.
- §. III. Ergo naturae imitatrix est, et comune quoddam vinculum habet cum reliquis artibus.
- §. IIII. Virium medicatricium reactionem coctio insequitur et crisis.
- §. V. VI. Morbi febriles et acuti coctionibus perficiendis aptissimi inveniuntur. Vis sentientis, irritabilis, facultas, lentae et per gradus adauctae irritationi assuescendi, et materiae neruorum corruptio, quae rationem tum fluidorum tum solidorum pessamdatam sequitur, coctionem morborum in longum protractorum, difficilem ac laboriosam reddunt.
- §. VII. Morborum acutorum ob medelae naturalis analogiam summa sunt genera. Natura nullis se obligat legibus generalioribus circa curam passionum tardarum.
- §. VIII. Omnino tamen coctionis opem non denegat natura curae morborum chronicorum artificiali.
- §. IX. Deficiente peioris indolis materiae, coctio sola morbo profligando sufficit.
- §. X. XI. Materia febrilis sui excretionem requirit  
a) ob similitudinem rationis agendi virium in statu sanitatis b) ob proclivitatem ad putrescentiam

- 
- rescendum c) ob coctionis naturam, qua prociuitas ad putrescendum augetur.
- §. XII. XIII. Ratio eruitur, ob quam natura arte excellat, et haec non ferre debeat, sed accipere legem.
- §. XV. XV. Excretionis salutaris virtutes, a medico aestimandae. Nee negligendum quid? et quo loco? purgetur.
- §. XVI. XVII. Loci dignitas vltius demonstratur. Si locum vrget natura vitae propiorem, medicum oportet resistere ejus conaminibus; quod tamen aegre obtinetur.
- §. XVIII. XIX. Ratio excretionum latet; attamen singulares humorum versus organa determinationes notantur.
- §. XX. Organon responderet a) aegritudinis genio.
- §. XXI. b) Loci affecti propinquitati.
- §. XXII. Eximia primarum viarum sensibilitas sub ingressu causae morbificae impedit quo minus vltius proferpat. Hinc ad mali fontem excretionem instituat Medicus.
- §. XXIII. Quae ad loca remotiora vergent conamina, male plerumque cedunt.
- §. XXIV. c) Virium impetus et organorum, quae excretionibus inserviunt, ob functionis similitudinem affinitas locum excretionis determinant.
- §. XXV. XXVI. Morbus non vni organo adstrictus est; hinc ob praesentiam vnius alteriusve momenti non valet legum generaliorum ad casus specialiores applicatio.
- 

Est





§. I.

**E**t eximia quaedam parentis communis liberalitas circa omnia obiectorum genera, quibus *vel* incommodis ac necessitatibus hominum, *vel* suauitati et iucunditati prospiciat. At industria et ingenio opus est, vt bona, quae exstant, in vsum humanum conuertamus, et ipsa naturae vestigia sequamur, quam perfectissime id quidem fieri potest. Ex eo apparet discrimen, quod an bonae logicae praeceptis consentiat? dubito admodum, inter artes *liberaliores* ac *sedentarias* receptum. Quae enim corporis laboribus perficiuntur, has finem suum

A

per



perse consequi, illas, quae coniectura magis, quam vera ratione nituntur, non semper sine suo computiri, iam olim notauerunt PLATO ac GALENVS. Constituunt igitur species, et nullum adest genus; ars, quae in omnem euentum secura, non est ars, ergo nec ars *contemta, sordida, abiecta*. Imponatur aliud, mihi perinde erit, siue hoc, siue illud nomen; modo non artis.

§. II.

Doctrina, quae sanitatem conseruare et amissam restituere satagit, cognitionem requirit obiectorum, quibus optimum, quemcumque attingere licet, finem obtineas. Ea obiecta sunt *vel extrinseca vel homini inhaerentia*. Huc pertinent vires naturae medicatrices, ex vnica illa ac homogenea materia enatae, quae cerebrum ac neruos implet, et cum sanguine ipso nexu quodam animali conspirat; illuc res externae spectant, quae vel materiae nervorum pabulum suggerunt, vel diuersam ad vitam,





vitam, sanitatem, relationem habent, congruam aut infestam. His si careret homo, nulla vel sanitati constantia vel morbo medela foret.

§. III.

Medicinam igitur, naturae corporis humani imitatricem, principii huius ratione non ab similem esse reliquis artibus, quae egregiarum nomine celebrantur, de eo qui dubitauerit, vix crediderim fore aliquem liberaliter educatum. Cum enim perpetuae observationis sit, haud exiguum aegrotantium numerum sponte, remediorum naturalium ope, absque illa medici, conualescere; tum artis fastigium attigisse existimadus est, qui iis non sine magno ac confirmato iudicio obtemperare didicit. Ex accuratissima eorum contemplatione ars prima cepit initia, nec vlla vmquam aetas ne vnguem quidem latum ab ea recedet, quin in errorem cadat et anceps vitae periculum.

§. IV.

Medelam vero naturalem *coctio* inprimis et *crisis* constituunt. Morbus enim, nec caus-



sa propria impeditus, nec rebus, quae circumstant, turbatus ab ingressu phaenomenorum, quae ipsi propria sunt, usque ad remissionem symptomatum, quae tempus morbi vehementissimum sequitur, causae propriae aetivitate et virium medicatricium reactione ita absolvitur, ut haec cum illa pari ratione increseat, decreseat. Morbo sic decurrente, coctio efficitur crudorum, seu causa morbifica eum in modum alienatur, ut *vel* dotem vitalem acquirat, *vel* aptior reddatur, quae secedat e corpore. Hanc excipit crisis, quae est subita et turbulenta morbi solutio et itidem differt, ut causa morbifica vis vitalis reactioni vel oblectatur, vel eidem facile cedit.

#### §. V.

Ex §. antec. satis constare nunc arbitror, morbos febriles et acutos, in ascensu ac vigore constitutos, perficiendis coctionibus omnium aptissimos esse. An morborum longorum, alia omnino sit ratio? facile patebit, modo  
acuto-





acutorum genium cum illo tardorum compa-  
raueris. Singularem obtinuit natura corpo-  
ris humani facultatem, qua fit, vt *repetita*  
*impressione* solidum simplex, vis sentiens, ir-  
ritabilis, systema denique vasculosum mirifi-  
ce mutantur; hinc sensus mali mitescit, vbi  
lente applicatur materia peccans, et obdormiunt  
vires, quae sanitatis vigilias agunt, non sine  
insidiis morbi. De calculis renalibus cogites,  
qui nulla interdum aut pauca cient symptoma-  
ta; sensim increfcit eorum volumen; renum  
substantia fit dura, callosa, cartilaginea; ner-  
ui cum ipso aegritudinis incremento hebetantur.  
Longe aliter euenit in vera nephritide, quae  
ob acutam stimuli inflammatorii actionem pulsus  
duriorem et dolorem modo grauiorem, mo-  
do leuiorem comitem habet, prout inflamma-  
tio vel peluim, vel magis parenchyma renis  
occupauit; ne forte perperam sentias cum bono  
HALLERO, vim sentiendi omnino abesse a  
renibus, quae relatiua tantum est ad deficiunt  
irritamenti genus.

§. VI.



## §. VI.

Nec latere nunc potest ratio, qua obtinetur id, vt tardae passiones coctioni benignae resistent; nam quae subito agunt causae morbificae, naturae impetum aduersus se sollicitant; quae sensim applicantur, prosternunt. Immo vix particulam corporis, sed oeconomiae vniuersae rationem, tum mixtionem fluidorum, tum solidorum texturam, eae quae in longum protrahuntur passiones, deleteria quadam indole, vt plurimum afficiunt. Habes vires neruorum ipsa morbi natura debilitatas; ipsa forte debilitas morbi incrementum iuuat, viscerum integritatem corrumpit, humorum lentorem, visciditatem, tenacitatem et infarctus vasorum inducit, ne de aliis dicam impedimentis, quae motui sanguinis expedito obstant, et coctionem difficilem ac laboriosam reddunt. Quae quidem quam vere dicta sint, vel ex eo conicias, quod vis vitae incerto semper Marte et magno cum vitae periculo suscipiat luctam, si quando obstructionem visceris





sceris confirmatam excutiendi gratia motus febriles et inflammatorios instituat. Vires enim neruorum sunt fractae, quae vim insitam cordis arteriarumque moderantur; hinc sublatum est aequilibrium, quod vim inter vtramque intercedit. Irritabilitas cordis, dum violento quasi modo laceffitur, in motus quidem enormes, at, dissentiente vi neruea, in corporis destructionem ruit.

#### §. VII.

Cum igitur ab excretionum criticarum vera agnitione, quae fusius infra patebit, therapia passionum acutarum generalis pendet, vt excretionum negotia acri iudicio prosequi debeat ars medici, partibus suis facturi satis; tum sane longum foret, motus naturae spontaneos in passionibus tardis expectare, et virtuti vitali omnia largiri, otiosi medici. Vides, qui differat vtrumque passionum genus, et perspicis, quae necessitatem expectationis in acutis, quae industriae necessitatem in chronicis adferant.

Est



Est enim via quaedam ac methodus communis, quam natura actiuosa sequitur, dum regulariter decurrit morbus acutus. Quae vero passiones chronicae inter se communia habent, paucissima sunt; immo corruptio humorum, solidorum affectio, causae, quae hanc, illam progenerant remotae, adeo multiplices sunt nec raro ex aduerso sibi respondent, vt sua cuius medela sit, nec legibus quibusdam generalioribus vires naturae se obligent. Quae si motus determinati opportunitatem nullam inueniant, tanto curatius attendendum erit a medico, quid ars efficere possit, vt remediis opportunis humorum a statu sano aberrationem in melius conuertat, quo obedientiores fiant ipsius naturae, si demum contingant, commotionibus siue auxiliis euacuantibus, et tonum solidorum restituat, functionibus corporis sani respondentem.

§. VIII.





## §. VIII.

Quamuis igitur morborum febrilium coctio ob parilitatem iuxta circuitus, vt cum GALENO loquar, et motuum vitalium agilitatem multo praecocius et clarius, quam illa chronicorum, elucefeat; noli tamen in eam descendere sententiam, morbis, qui in tempus longum excurrant, omnino denegari opem naturae. Equidem non ignoro id genus medicorum, qui omne curationis negotium soli arti relictum superbe exclamant. At videant illi, ne, nimium agendo, plus detrimenti, quam salutis corpori adferant. Requiritur enim tale moderamen cruditatis, vt fiat coctio. Obscure sunt, at mites naturae motus, modo non excedat virtutis vitalis imbecillitas et causae contumacia, nec oportet fidem habere arti, quae praecurrit naturam, cum haec ob virium ac temporis impendium illa sit longe felicior. Exhibeantur purgantia, quo tempore suburra, quae primis viis inhaeret, eductioni haud dum idonea est; secedent praecocius, quae ferius fieri oportebat, nullo aegro-



aegroti commodo. Adsit obstructio viscerum abdominalium; vasa ultra modum repleta sint, tensa, cutis rigida et sicca; sanguis careat fluiditate, blanditie; organa excretoria euacuationi resistent, inprimis id quod halitum insensibilem spirat, et frustra, nec impune adhibebis valerianam, quae motus neruorum anomalos egregie sistit, modo sit pulsus tardus, mollis, aequalis \*). Materiae crudae acriorem stimulum, osculorum spasmus excitando, sui ipsius excretioni vbiuis viam praeccludere, donec eam leniorem reddiderit natura, est quod nemo dubitat, ut mireris, eandem stimuli acrimoniam seu materiae cruditatem a quibusdam pro nihilo haberi in morbis neruorum, vbi sensibilitas eminent, et diathesis neruorum spastica praecoci evacuationum irritatione mirifice augetur.

§ IX.

- \*) In morbis neruosis pulsum tardum, mollem, aequalem, coctionem peractam significare monuit celeberr. TRISSOT de morb. neru. L. II. p. m. 620 seq.





## §. IX.

Huius loci est quaestio, non indigna, quam ulterius disquiramus: an coctio sola citra sensibilem humoris euacuationem morbo profligando sufficiat? Sunt, qui solutionem morbi absque eccrissi perfectam tueantur, quique in dubium adducant, vtrunque magni nominis viri. At ne a veritatis tramite deflectas, respice morbum, qui sine signo conquiescit. Haud paucae inveniuntur aegritudines, quibus dum a vacuitate vasorum et humorum defectu proueniunt, quod projici extra corporis limites possit, debeatue, nihil inest, vt aliquis conualescendi modus in supplemento ejus, quod deest, vnice, nil autem quidquam in vacuatione consistat. Est aliud aegritudinum genus, solidis praecipue infestum, hinc labe potissimum systematis nervosi et irritabilis conspicuum, absque notabili humorum alteratione, quod nervinis roborantibus, vario titulo insignitis, letatur ac lenta energia superatur, per se vero minime ad pepasum proclive est

Dan-



Dantur denique acgritudines a cohaerentia fluidorum nimis aucta vel sana minore, quae, modo non perversa sit liquidorum mixtio, virtutis vitalis in causam actione ita conuerti queunt, vt haec dotes vitae sustinendae aptas acquirat.

§. X.

Quibus curate perpensis, id equidem largior, solutionem morbi fidam ac perfectam aliquando contingere absque materiae peccantis secretionem et euacuatione, dum *vel* solidis, nam et in his coctio locum habet, talis mutatio inducitur, vt aegritudo minus noceat, *vel* cohaerentia humorum imminuitur, tenuitas emendatur. Perspicis vero, id genus solutionis leniorem systematis arteriosi stimulum ponere, ex quo conicere licet, nullam esse admixtam humoribus alienam materiam. Febris diaria exemplum sistit, quae, dum in principio est, non raro a vi vitali iugulatur absque vlla perturbatione critica. At longe aliter mihi sentiendum videtur de iis, quae hominem vehementer





mentius affligunt, aegritudinibus. Peioris enim indolis adest materies, quae an ita miterere possit, vt illaesa sanitate cum circulo humorum deuolnatur, non pauca sunt, quae dubitare me sinunt, argumenta *Inprimis* simplicissimae etiam rationi magis conuenit, vires naturae medicatrices morbidum a sano separare et ex vniuerso corpore eiicere, quam correctionis periculo adeo laborioso, difficili ac longinquo, immo vano omnino atque irritato subiicere. Est eadem naturae medicatricis, quae conseruatricis, ratio; at haec, quae nutriens illud alimentorum in naturam humanam conuertit, partes modo aquosas modo acriores, quae nullam habent cum succis animalibus affinitatem, quaeque sua, si retinerentur, abundantia corpori noxam inferrent, non assimilare studet, sed extra limites proiicit. Acritates vero morbosae prae illis, quae statui sanitatis limitato congruunt, multum excellere videntur contumacia, nec robur nouum per aegritudinem additur, vt virium vitae



vitae reactionem caussae efficaciori subigendae parem possis statuere.

§. XI.

Quodsi vero morborum febrilium naturam eamque coctionis respiciamus; vtraque caussae morbificae in naturam humanam commutationi quam maxime repugnare videtur. Omnia, quae febribus conueniunt, remedia ea fere ratione agunt, vt humorum putredini resistent; carnes vbique fere sunt noxiae; materiae, quae secedunt e corpore, indolem putridam referunt; haustus effluuiorum, aëris mephitici, putridis effluuiis referti, non renouati, calidi, humidi, potus subputridorum, facile putrescentium, abusus ciborum ex regno potissimum animali, vegetabilium corruptorum, excrementitiorum retentio, ne alia dicam, inter causas remotiores solemnes febrium pertinent; synochi putridae calor tactui mordax videtur, immo post mortem nonnumquam insignis est. Haec omnia quidem simultanea quasi actione genus neruorum affi-





afficiunt, at probabilem tamen reddunt materiae febrilis ad motum putridum concipiendum procliuatatem. Quibus si id addis, coctionem nonnisi calore et actione vasorum perfici, illum ut plurimum excedere, hanc ultra necessitatem augeri, utrumque igitur momentum corruptioni fauere; non sine ratione metuendum erit, ne materies, cocta, putrida vel putridae proxima, in sanguine retenta, citius, serius, in corporis destructionem tendat. Neque igitur fide dignum est, si sine sputo pleuritis abeat, et dolor cesset praeter euacuationem quamcumque. In febribus malignis urinam criticam, *aliquamdiu post demum* conspiciendam se praebere, notauit VOGELIVS \*), ut perspicias, etiam me non monente, spasmodum in morbis remissionem multis quidem modis coctionem et vasorum minimorum pro transmittendis humoribus facilitatem adiuuare, nec tamen bene

\*) De cognosc. et cur. praecip. c. h. affect.




ne ad eam omnem coctionis latitudinem reuocari.

§. XII.

Ex iis, quae §§. antecedentibus differuimus, haud aegre euincitur, naturam hactenus, vt quouis artium genere, ita medicorum arte longe excellentiorem esse. Quae enim via morborum vim sponte frangit, imitabilis illa quidem esse videtur existimanti, sed nihil est experiendi minus. Legum, quibus natura actiones suas adstringit, firmitatem quamdam ac constantiam obseruamus, eamque inconstantiae accusare, vbi vaga videtur, inscitiae tantum artis est, quae praecepta perpetua nulla recipit. Naturae vires medicatrices aduersus ipsam morbi causam dirigit, idque oppugnat, quod oppugnari debebat, illaesa sanitatis particula, quae adhuc integra exstat. Arti vero vix umquam contingit, medicina interna, non interiecta alia corporis particula, morbosam afficere, nam aequa vi in totum hominem agit,





agit, et relative tantum in aegritudinem. Natura nihil excernit, nisi quod ad excretionem rite fuerit praeparatum; hinc expellit morbosum, sanum relinquit. Vbinam vero artis remedium, quod sub simili conditione in corpus immittas? Educis humores, quos ad sustinendum morbi impetum satius fuisset mansisse, et efficis, ut organa, quibus excerni turbida oportet, vigore suo destituantur. Ipsa crudorum coctio abstrusum est virium vitae negotium, quod nulla unquam ars efficere poterit vel ob virium, quae animali propriae sunt, defectum, vel ob legum naturae ignorantiam, quae, quamuis verissimae sint, tenebris densis inuoluuntur. Excretionis denique criticae quoad materiam, locum modumque differentia per ipsam coctionis indolem ac naturam definitur, ut dici vix possit, quanti momenti sit laudata ista differentia, et quam late pateat in cura morborum; at quidquid certi inest in excretionum negotio, natura fere sola non nescit.

B

§. XIII.




## §. XIII.

Quantum igitur natura arti excellat, id ipsum seiscitari ac profiteri, supremum mihi videtur artis medicae ornamentum et decus. Neque enim ita capienda res est, ac si nihil habeat medicus, quo vires ingenii exercere et gratam opem ferre possit aegrotis. Natura non odit scientiam, quae accipit leges, non fert, nec ultra vim vitae in morbis superstitem sapit. In congruo virium medicatricium regimine totum nititur naturae ministri officium, quarum actionem excessu, defectu vel abnormi directione subinde peccare, cognitum est haecenus. Attendat igitur medicus et *tempus morbi*, quo vires vitae intenduntur, et *gradum* intentionis ac *durationem*, nec negligat *locum*, quo vergant naturae conamina. Haec omnia rite consideraturo vastissimus patet campus, in quem procedat; qui cum dissertatiunculae limites egreditur, in praesentiarum excretionibus tantum insistam, quas natura salutis causa instituit.

## §. XIV.





## §. XIV.

Satius semper esse, secedere de corpore res nocentes, quam quiescere et relinqui vel ad partem ignobiliorem deferri, supra commemorauimus; at scire interest artificis medici, quae sint euacuationum salutarum virtutes. Spontaneum, copia modesta, at tamen sufficiens, temporis opportunitas, quae ad maturitatem refertur, debita materiae consistentia respondens organo excretorio, organorum omnium robur et ad diuersos humores facilitas, symptomatum denique leuamen, virtutes laudatas constituunt. Inter eas non infimum locum tenet, quae materiae excernendae cum organo excretionis intercedit, affinitas. *Quid?* enim et *quo loco?* purgetur, non leue, vt videtur, momentum; immo optandum, vt, quibus non sit curae cordique, iis vere sit. Quidquid illud est, quod in matula subsidet, causam certe fuisse oportet morbi sanandam, cum postea, si cetera respondeant symptomata, a grauitate non parum recedat. Aegri-



tudinis ratio in abundantia sanguinis nimia consistit; haemorrhagia vnicum fere modum sistit, quo possit imminui; hinc natura fluxiones sanguinis excitat, ne intra vasa compressus, vel opprimat cor vel aliquo errore in loca aliena moueatur vel congestionem et stasim inducat. Habes ferum sanguinis, et si quae huic alia insunt sanguinis principia, vel quantitate vel mixtione vitata. Nihil convenientius erit huic aegritudinis formae, excretionibus aquosis, pituitosis; sic omnia reliqua morborum genera eius, quae in causa est, materiae excretionem molliuntur, vt, quo accuratius excretiones, quibus morbi iudicantur, eorum indoli respondeant, eo satius sit atque optabilius. Nec te rogaturum nunc puto, an artis dignitas postulet, morbum facientis a sano separationem, euacuationem, rimari, aestimare? Natura ipsa viam tibi monstrat, vt videas, quae instet excretionum species, si plures expectandae, maxime leuaturam aegritudinem promoueas, partem ab iniuriis transeuntis

tis




tis, incumbentis materiae defendas, excretion-  
 nes reliquas imminuas, supprimas. Neque  
 vero haec solum artificem nosse oportet, sed  
 eum etiam, qui in definienda aegritudinum  
 affinitate lauream quaerit, cum ex materiae  
 secessu haud aegre euincas, caussae aegritudi-  
 num obscurae similes sint an dissimiles natura?

§. XV.

Vt igitur perfectissima erit tua de eccri-  
 sium valore doctrina, ita felicissimus eris in  
 agendo. Naturae ignauum spectatorem non-  
 numquam te geres; perspicias tamen, naturae  
 tempora an congruant morbi temporibus? na-  
 turae indolem ac vires ex corporum et loci  
 conditionibus aestimabis; nisi efficiendo multum  
 valere possis, cauebis tamen, ne quid erroris ab  
 aegro committatur, et ne quid fecus, quam par  
 est, eueniat, consules. Sic adiuuabis coctionem  
 et ecclisim promouebis, cui vt omni modo fiat  
 fatis, euacuationis indolem (§. XIV.) et locum  
 respicies, quo in maximum aegrotantis emo-  
 lumentum materia peccans excernitur.

§. XVI.



## §. XVI.

Natura enim benigna, dum excretionem salutarem molitur, hanc sibi legem proponit: *ut secedat non tantum, quod genio morbi respondet, sed etiam iusto loco secedat.* Nec inultum auferet medicus, qui legem, quam natura dedit, perumpit. Instituit congestionem sanguinis in hac illaue parte; hinc varia incommoda ex irritatione, distensione, vasorum. In auxilium vocatur medicus. Ex plethora aut retento fluxu sanguinis naturali vel neglecta eius artificiali euacuatione arguit quidem salutaria naturae, humore superfluo se liberaturae, conamina; at locum, quo materia excernatur, negligit, et superfluum excernere, id quod male, fatis putat. Adest febris inflammatoria simplex. Oculi rubent. Circa tempora grauitas. Capitis dolores. Narium pruritus. Susurrus aurium et tinnitus. Audit medicus naturae molimina; venam in brachio pertundit; motus salutaes auertit. Prouocare debebat et facillime poterat, si forte successuram desperabat





rabat haemorrhagiam narium criticam, dilaceratione quorundam vasculorum in naribus mediante penna ferratim incisa et fortius intrusa, aut scarificatione, quali Aegyptii vti solent. Semper enim meminisse iquabit, guttulae sanguinis, quae sub haemorrhagia critica effluit, tantum certe valorem esse, quantum vix unciae arte eductae, nec multitudine aestimari, quae secedant, sed quae oportet. Fluxus menstruus vrget, non vero succedit; iam nullo habito conditionum, quae circumstant, respectu venae-sectionem instituunt, et naturam ipsam cogunt, vt in posterum energiam versus locum dirigat, quem medicus suauis. Similiter etiam quae haemorrhoidibus eliminare cupit natura, ea non ita feliciter ars eliminabit alio loco.

§. XVII.

Cum igitur non perinde sit, nec ex vitae sanae vel imbecillae legibus fluat, omnibus sine selectu ac discrimine locis purgari quoduis posse, vix vniquam impune derelinquet medicus



dicus locum, quem natura, vrget ni forte ob vitium casu contractum et non sanabile contingat, vt ad partes vitae propiores vergant naturae conamina. Mensium vices subit aliquando haemoptysis, per interualla seu periodos redire consuescens. Sanguinis quidem molesti vbertati directe respondet pulmonum profusio, et aequae utilis esset, ac illa, quae contingit ex vtero, nisi accidentia quaedam salubritatem turbarent. In eo igitur casu resistendum erit naturae conaminibus, quod vero quam aegre obtineamus, non ignorat expertus, quae periculi difficultate id ipsum magis eruitur, naturam esse, propositi in selectu organorum tenacissimam.

#### §. XVIII.

Excretionum, tum in statu sano, tum in statu morbofo ratio nondum bene intelligitur, et forsan semper latebit. Leges quidem vniuersales verissimae sunt; earum vero ad casus specialissimos applicatio magnis premitur,



mitur, nec facile superandis difficultatibus. Excretionis nempe naturam numquam intelliges, nisi mixtionem motumque humorum, qui ad cola demittuntur, nisi copiam, anastomoses, angulos vasorum fecermentium, eorumque naturam, toni diuersitatem, ad diuersos humores aptitudinem, et quod maximum in hac re est, virium impetum recte stabiliueris. Quae vero omnia cum nec Physiologiae nec Pathologiae ope satis clara sint; haec proposuisse sufficiat.

## §. XIX.

Singulares notantur et certissimae humorum versus organa determinationes, quae a) morbi indolem ac variam materiae aptitudinem, b) vasorum directionem et loci propinquitatem, c) virium impetum et organorum excernentium affinitatem sequuntur. De his seorsim dicam, quantum potero.

## §. XX.

a. Secundum causae morbificae indolem natura instituit colatorii selectum. Ita serum

vt

vt fordes suas emungat, familiari aliquo vti-  
tur diuerticulo, renibus et emundatoriis cutis.  
Hydropes vrinae fluori, arthritides transpi-  
rationi ac modestis sudatiunculis feliciter ce-  
dunt. Sero tamen flauo, et succis, maiori  
minimorum mole constantibus, et vltimis  
arteriolarum, quae ad cutem distribuuntur, fini-  
bus non satis accommodatis, prae ceteris re-  
nes dedicantur, qui particulas acres, salinas,  
oleosas, terreas, cum ipsa feri copia ad se  
alliciunt, et totius corporis superfluitatem sero-  
sam expurgant. Quantum vero praestet or-  
ganon cutis, tenuiora difflando, vel vno pro-  
bare placet, cum possim plurimis, exemplo. Sunt  
varii morbi in colluue serosa consistentes, qui  
fluxu alvi critico sanantur; tunicae enim vil-  
losae intercedit cognatio quaedam cum innu-  
meris tubulorum cutis exhalantium seriebus;  
hinc omnium humorum serosorum ad intesti-  
na veluti destinatio, ex legibus circuli fluens,  
qua totius hominis saburra ad tractum intesti-  
nalem eo facilius demittitur eoque feliciter emit-  
titur,






titur, *quo maior est tubulorum balantium per internam intestinorum superficiem frequentia.* Sin igitur eueniat, vt materies serosa, at tenuioris indolis, versus canalem intestinorum vergat, et alui profluuium excitando, sui quidem excretionem molietur, non vero perficiat; semper magis opportunum videtur, resoluentium, potus diluentis, diapnoici, vesicatorii ope, subtiliorem feri affecti stimulum ea via remouere, quae humori tenuissimo sub halitus insensibilis forma euaporando maxime conuenit.

§. XXI.

b. *Sequitur natura vasorum directionem et loci propinquitatem.* Ita enim GALENVS \*): „coctio quaeque idoneo organo, illius quae in *imo ventre* perficitur, *excrementa* secundum naturam: quae ad *vasculosum genus, urinae*, quae ad *respirationis organa, sputa.* Eodem modo *urinae* respondent *renibus, ureteribus, vesicae, mentulae.* Postquam  
igi-

\*) De cris. I. 7. p. 387. T. VIII.



igitur natura morbosum attenuare, incrassare, in succi laudabilis speciem commutare tentavit; proiicit, si viscus quoddam singulare affectum est, causae morbificae inquinamenta proximo quodam organo, singulis partibus adscripto. Intra thoracem subsistat causa inflammatoria; nihil huic educendae convenientius, et propter situm nexumque mutuum accommodatius erit arteria aspera; nec tantum, quae intra pulmones abscedunt, sed etiam, quae foris, intra pleuram inque thoracis cavo, viam ad arteriae asperae fines, natura sibi datam, inveniunt. Spontaneus salivae fluxus inprimis partibus, vicinis ori, male se habentibus prodest. Glandularum pone aurem tumores magnum abinde beneficium accipiunt. Abscessus faucium atque angina propius aliud excerniculum, illoque opportunius haud quaerunt \*),

§. XXII

\*) Hinc explicari poterunt egregiae illae virtutes, quas calomel habuit in angina putrida secundum





## §. XXII.

Proxime igitur ad mali fontem instituenda erit causae morbificae expulsio, cuius praeccepti ut dignitatem capias, haec attende. Natura ipsa ita se gerit, ut primae corporis viae, quas materiae noxious, tamquam remotiores aegritudinis causae ingrediuntur, sub initio statim sensilitatis maioris actionem exerant, quae impedit, quo minus causa aegritudinis progrediatur. Hinc peregrina pulmones exagitant, donec id, quod illapsum, excutitur; hinc ad veneni stimulum spasmodica ventriculi contractio, contentorum expulsio; hinc genitalium

dum observationes quorundam. Anceps quidem videtur periculum, mercurialia adhibere, ubi ad putredinem vergunt humores; at calomel numquam fere non ptyalismum excitavit criticum, ut eius virtutes non nisi secundum actionem, pro naturae energia substitutam in colatoria, loco affecto proxima, aestimandae sint.

C




talium catarrhus, qui morbum coitu susceptum fanat, nec facile admittit veneni in corpus ingressum. Sequere normam, quam dicitur natura. Linguam squalidam vides; nausea vrget, conatus vomendi, vomitus, sensus molestiae circa praecordia; adest color cutis flauus, cephalalgia, vertigo; deliria adsunt, dolores artuum, prostratio virium, anxietates, oculorum caligo, inquietudo, sanguinis ferum ex flauo viridescens. Colluuiem, mobilem redditam, supra ventriculum turgere, quid clarius perspectu? Instituas emesin; natura tibi viam monstrat in vicinitate opportunam, neue subducas, per naturam te rogo, in longum intestinorum caulem, quae uno impetu euacuare debebas. Sordes hic, illic, remanebunt; adhaerebunt villis, et sanguinem ipsum conspurcabit.

§. XXIII.

Verum quidem est, materiam morbi, lege circuli, subiinde ferri ad loca minus solemnia,





lemnia, remotiora. In pulmonum et laterum affectibus, licet propius ad arteriae asperae fines pus et sanguis accedere possint, tamen utraque materies haud raro vel renibus mingitur, vel aluo deicitur. GALENVS \*) thoracis vomicam, BARTHOLINVS \*\*) plus semel in lateris doloribus et tabe pus aluo expurgari viderunt. MEIBOMIUS \*\*\*) atque SEPTALIUS \*\*\*\*) deiectionibus purulentis ex vomica, a costarum parte orta, desperatos conualuisse testantur. Alia, quae a pulmone nata erat, etiamsi actum videretur, torminibus per plures dies superuenientibus, tam integre sanata fuit, vt spina a pure distorta sponte reponeretur †). Nonnumquam etiam, quae a vulneribus nascuntur, aluo cita

C 2

leua-

\*) De loc. affect. I. 6. c. 4. p. 517. T. VII.

\*\*) Epist. c. 4. Ep. 87.

\*\*\*) De abscess. p. 104.

\*\*\*\*) Animadu. med. l. 6. §. 127.

†) Acad. R. S. 1731. STALF. v. d. WIEL obs. cent. I. o. 34.



leuari visum fuit \*) Pulmo graniter istus, cum ex plaga vix quidquam puris prodiret, ad sanitatem peruenit, orto vicefimo die ingenti per anum profluio \*\*). Ex his autem, cum pus per vias insolitas proueniat, scire licet, ea, quae natura interdum adhibet, artem sequi non posse, potissimum, cum leui medicamento materies noxia non dematur, validum vero vires consumat, in quibus solis spes salutis posita est, et conatus naturae peruersi, si prospere interdum, plerumque tamen male cedant. Nam si fieri nequit, vt pus extuffiatur, et in ventrem erumpat, aegri quidem melius se habere videntur, quoniam materia ex angusto loco in ampliorem delabatur, nec facile tamen sanescunt, nisi valetudinis bonae signa multa subsequantur. \*\*\*).

§. XXIV.

*c. Virium impetus facile mutabilis et organorum similitudo rationem sistunt, cur aegritudo*

\*) MARCHETT. obs. 43.

\*\*\*) VALERCOLA L. 4. O. 10.

\*\*\*\*) P. SALIVS DIVERS. comm. in Hippocr. l. 2. de morb. c. 16. p. 242.





*tudo versus hunc, illum, locum vergat.* Nihil frequentius occurrit in morbis acutis, febrilibus, quam urinas turbari et sedimentum ponere ad virium reactionis rationem, nec dubium mihi superest, quin vel ob ampliora vasa fecerentia, vel quod locus secretorius cordi sit propior, renibus potissimum morbidi a sano separationem relinquat natura. Ut enim prius momentum causam secretionis feri largioris, ita posterius celerioris continet. Evenit tamen aliquando, ut urina sanae similis maneat, quamvis aetas morbi prouectior mutationem aliquam postulet, aut nubeculam sistat in medio suspensam, non vero subsistat. Ratio serotini huius secessus, quamvis saepius in reactionis inertiam conicienda sit, non raro tamen vicissitudini excretionum assignanda videtur, qua fit, ut propter similitudinem functionis organon cutis in se agendum recipiat, cuius gratia urinae turbantur. Ut enim in statu sanitatis transpirationis repercussae facilis in diuresin ac diarrhoeam mutatio fit; ita in statu morbofo causam morbificam subinde exhauriunt sudores, aut deiectiones aluinae urinas mutari non sinunt. Si quidem illud accidit, bonum; at si aegro sudante, vel quo tempore urinas subsistere fas est, alvus fluit, non omnino laudabile, cum certum sit, excretionis criticae vigorem non parum inde turbari. Cave igitur,



tur, ne naturalibus furroges alia, dicti Hippocratici memor: „si quid moueas in ventre, vrinae non coquantur, sed sudore vacua et non iudicata febris erit longo tempore.“ Neque mirandum erit, pro diuerso virium impetu diuretica fieri diaphoretica et haec vrinam mouere. Remediorum enim actio pro receptiuitate corporis differt; hinc quod vrinam vel sudorem prouocaturum putabas, si cetera fuerint eadem, in eam potissimum partem actionem suam exferet, in qua pro virium impetu, ceu concausa actionis remediorum naturali, celerrima perficitur ac facillima fluidi secretio.

#### §. XXIV.

Si febrim decursam contemplamur, vix vnum colatorium sufficit, quo materiae morbificae a sanguine fiat desumptio, nec loca illa solemniora, renes dico ac cutim, sola semper sunt in hoc negotio. Mox vomitus et spontaneae alui deiectiones, mox haemorrhagiae, menses et haemorrhoides, immo quae praeter naturam eueniunt per loca inconsueta, leuamen morbo adferunt. Tales igitur vias in morbo apertas seruare, naturae obstacula remouere, tanto maiorem facit salutis fiduciam, quo rarius aegritudinem cernere licet, quae non sit dissimularis, seu e pluribus conflata. Et si forte aegritudo  
tibi





tibi occurrit, quae *vnam* tantum in fluidis praesentem conditionem sibi vindicat, minime tamen credendum est, certam humorem noxium vni tantum organo esse adstrictum. Febris catarrhalis benignae causa ad materiam perspirabilem redit, quae acrior reddita in sanguine oberrat. Seri igitur excretio naturae morbi respondet, et certissime expectanda erit morbi solutio. At quaenam circa vias inconstantia! *Modo* coryzam, phlegmatorrhagiam, sputa, salivationem, *modo* sudorem, vrinam copiosam, crassam, hypostaticam, grauem, *modo* diarrhoeam natura benigna excitat. Estne igitur temerarii quid et fortuiti in virium naturae actione? Minime gentium. Respice sexum, aetatem, propriam cuique homini indolem, vitae genus, constitutionem epidemicam, coelum, sub quo vivitur, tempus anni, organorum quorundam, secretioni, excretioni, intersumentium robur praeualens, errores in diaeta, medicamenta denique, semper aliquid noui secum adferentia, nec latebit te ratio, ob quam in variis variant excretionum molimina.

#### §. XXVI.

Legum, quas naturae indagatione eruimus, communis est ea conditio, vt cautos nos esse oporteat in earum ad casus specialiores applicatione; non-

ne



ne idem valebit de legibus naturae corporis humani? de iis etiam, quae per observata comprobauimus? -- Cauendum nempe, ne statim ex praesentia unius alteriusve momenti, quod loco excretionis determinato favere diximus, concludamus, excretionem fieri debere in ea potius parte, quam in alia, quae caret ista conditione. Alia adesse possunt momenta, quae an non plura sint et validiora, considerandum semper prudenti medico. Non levis, ut hoc unum adducam, secundum aetates notatur differentia in corporis ad halitum insensibilem proclivitate. Infantes ob corporis incrementum ad sudandum difficiles sunt. Etiam si superfluum quoddam fuerit, in re tenui positum, cui facilius et conuenientius, omni emunctorio corporis, purgamentum per halitum videtur, id quidem per alium secedit; fluxilis enim est ista et plerumque humidior in infantibus. In alio exemplo ductus secretorii cauum minus et latera densiora particulis crassioribus introitum non permittunt, sed tenuioribus tantum; hinc magnum observamus virium naturae certamen, si plus, magisve, cordis motui cutis obstitat, nec dimittat facile, quod indole sua in halitum subtiliorem dissipari solet, nisi forte quoddam aliud effugium natura quaerat, et organo naturali praestantiori secundarium surroget.

---



p  
l  
a  
ri  
et  
e  
n  
m  
n  
o  
i.  
n  
i  
m  
n  
n  
ra  
r  
n  
a  
a  
i  
i  
a

1078

PICA







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
VALORE ECCRISIVM  
RITE AESTIMANDO

Q V A M  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
PRAESIDE  
D. IO. FR. GOLDHAGEN

MEDICINAE, PHILOSOPHIAE ET HISTORIAE  
NATVRALIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

